



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Quotidiana Christiani Militis Tessera**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1710**

I. Dies Julii. Qui agunt, quod bonum est; ab illo aguntur, qui bonus est.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45477**

## I. DIES JULII.

Qui agunt, quod bonum est; ab illo aguntur, qui bonus est. *S. August. de grat. Christi c. 25.*

Boni na- I.

**H**actenus Malii indolem, genitura. **H**um, naturam, & quæ ex Malo oriuntur, vitiorum lineamenta graphicè expressissimus; ut primum illud Davidici consilii membrum observaremus: (a) *Declina à malo.* Sequitur jam alterum: *E fac bonum.* Speciosa hæc erit ut relatu; sic & letu materia. Primum, hæc est omnibus communis lex: quod bonum sit appetendum; contrà, malum fugiendum. At, quia bonum est in convenienti; & aliquid est proprium singulis speciebus, objectis potentias, potentiis organa, utriusque certas actiones certis inclusas limitibus, sapiens natura contemperavit. Uniformis, est primi mobilis motus, omnes secum rapiens cœlos, singulis tamen Planetis, & octavæ Spheræ suus singularis est, quem nunquam desinente cursu à momento sua creationis sequuti sunt, & in posterum sequentur. Sicut autem omnes cœli moventur à primo mobili; sic quisquis agit, quod bonum est: ab illo agitur, qui bonus est: ille, qui est summum Bonum, efficit, ut omnia appetant bonum: sed singulæ species suum. Jus est, & bonum, piscibus in aquis degere, avibus in aëre; quadrupedibus, in terra.

II. A.

(a) *Psal. 36. 27.*

II. Amoris divini fæcunditatem ad extra , D. Dionysius (a) exprimit per circulum boni; qui à bono per bonum procedens ad extremum eorum, quæ existunt, in bonum revolvitur. Hoc boni si longè diffudentis progressu sit longa series graduum, qui à supremo, & illi vicinioribus sensim recedentes, tandem fiunt oppositi : sic inter diversos, diversissimi. Deus infinitus est circulus , in quo , quia nihil nisi infinitum, diameter, erit centrum, & circumferentia, omnis diversitas, identitas; omnis duratio, æternitas; omnis discretio, simplicitas: omnis motus quies: omnis inæqualitas, æqualitas; maximum, in quo concidit minimum ; quia diversitas complicata, identitati complicanti non opponitur ; omnia complicans, quia in eo omnia : omnia explicans, quia ipse in omnibus. Nullum itaque est magis alienum, aut publicum bonum, quam Bonitas: quia est omnium, & pro omnibus: qua propter Bonitas, est census publicus, alienum bonum. Res omnium, non sui solius patitur esse. Bonitas est, quæ sufficit sibi: non est insuper, quæ sufficit omnibus. Parum adhuc dixi: non tantum est, quæ nullius eget: sed cuius omnia egent. Deo egemus , non tantum ut simus, sed ut bene simus.

III. Bona autem omnia hæc creata , quæ sunt extra summum Bonum : literæ sunt desuper ad nos missæ, in quibus, qui cæcus non est, legere poterit Bonitatem Dei. Quæcumque igitur, cæli, & terræ ambitu continentur ; quæcumque à summo Opifice vel dantur, vel auferuntur : literæ sunt, quæ nos vel à vitiis extrahunt, vel ad virtutes trahunt : vel terrendo

(a) *De divin. Nom. c. 4.*

Junius.  
rendo monent, vel monendo frœnant, vel frœnan-  
do retrahunt à malo, vel retrahendo à malo urgunt,  
incitant, impellunt ad omnia bona. Quid igitur fa-  
cilius, quāni facere bonum? Hic tantum adhibenda  
est cautela, ne confundamus bona, & mala. Anxi-  
ties est humanorum conditio bonorum; & quæ nu-  
quam vel tota proveniat, vel nunquam perpetuo  
claret; inest singulis, quod inexpertus ignoret, exper-  
tus horreat. Nihil mortalibus bonis, est immor-  
tale, volvunt humana vices crebræ, & omnium re-  
rum fuga fit. Videre licet magna gaudia ex insigni-  
bus malis; & immensa mala ex gentibus gaudiis.  
Quid stupes? Hæc est inferiorum conditio, sic ad  
tempus quiescere, sic moveri, pompa est; ostendun-  
tur istæ res, non possidentur; dum placent, transfe-  
unt. Cùm igitur hæc sit mortalis hujus vitæ sors;  
ut mala bonis, zizania trito; lolia liliis, mœstal-  
lis; tineæ floribus intermisceantur: unum superet  
remedium, separare pretiosum à vili, mundum abe-  
mundo, lucem à tenebris, bona à malis. In quo ne-  
gotio, nostra posthac sudabit industria, cùm juri  
Poëtam:

*Sunt bona mixta malis; sunt mala mixta bonis.*

## 2. D I E S J U L I I .

Quidquid magnum sub Deo, illud minus  
est Virgine. *S. Anselm. de Excel. B.V.*

I. Po